

Q. F. F. S.  
DISSERTATIO BOTANICA,  
SISTENS  
**NECTARIA**  
**FLORUM,**

*QUAM,*  
CONSENSU NOB. ATQUE EXPER. FAC. MED.  
IN ALMO UPSAL. LYCÆO,  
SUB PRÆSIDIO,  
*VIRI NOBILISSIMI ET EXPERIENTISSIMI*  
**D:NI DOCT. CAROLI**  
**LINNÆI,**


EQVIT. AUR. DE STELLA POLARI,  
S:Æ REG. M:ETIS ARCHIATRI,  
MED. ET BOTAN. PROFESSORIS R. ET O.  
ACAD. CÆSAR. N. C. REGG. MONSP. STOCKH.  
UPSAL. BEROL. TOLOS. FLORENT. LOND.  
ET IMP. PETROPOL. SOCH,  
PUBLICO EXAMINI OFFERT,  
**BIRGERUS MARTINUS HALL,**  
VESTROGOOTHUS.  
IN AUDIT. CAROL. MAJ. DIE XXV. JUNII,  
MDCCCLXII.  
*HORIS ANTE MERIDIEM CONSVETIS.*

---

U P S A L I A E.

122

BS





## CAPUT PRIMUM.



uæ in rebus creatis conspicuntur manifestissima summæ Divinæ sapientiæ & potentiarum vestigia, ingentem sane, attento oculo ista perscrutantibus, admirationem quo-vis movent momento. Durat adhuc creationis opus, & in omnibus viventibus, animalibus vide-  
licet & vegetabilibus, renovatur ope generationis, ita, ut per hanc illius fiat continuatio; nec vivi quicquam, nisi hac ratione, producatur. Immo genus quoddam animalium vel vegetabilium, quod dicta ratione non propagari possit, frustra queramus, ne minutissimis quidem, quæ oculorum aciem fugiant insectis exceptis.

Observatu omnio dignissimum est, quod Insecta, quorum licet maxima pars triplici obnoxia sit metamorphosi, haud tamen prius generent, quam tertium suum statum, seu suam attigerint perfectionem. Nunquam enim videbis eorum aut larvam aut pupam foetus pro-

A

cre-

creasse, ne Gryllorum quidem, qui tamen perfectissimi videntur, cum a perfectione adhuc longe absunt.

Eadem fere est ratio vegetabilium, quæ ante perfectam metamorphosin generare nequeunt. Fit vero hæc metamorphosis, cum *cortex* se aperiens in calycem, *liber* se dilatans in corollam, *lignum* se findens in stamina, & *medulla* prorumpens in pistilla, transeunt & mutantur. Hac ratione exoritur admiranda ista fructificatio, in quam rite rimando, examinando, depingendo desudarunt omnes recentiores Botanici.

In variis vario tempore versata est Botanicorum Opera & industria. 1:ma Epocha PATRUM, ante illapsam barbariem, non pauca vegetabilia fugitivis usurpabant oculis. 2:da Epocha FUNDATORUM, tempore, quod *Brunsfelsum* inter & *Casparum Baubinum* est, in plantis Europæis detegendis, describendis & in lucem proferendis, satis occupati fuerunt; quæ plantæ tandem ab immortali *Casp. Baubino* in pinace, quadraginta annorum labore, collectæ & digestæ sunt. 3:tia Epocha SYSTEMATICORUM, detecta vegetabilia ad genera, ex fructificatione constituta, rededit, imprimis herculeo opere immortalis *Tournefortii*. 4:ta Epocha REFORMATIONIS, in qua Nob. D:nus *Præses rem* herbariam aggressus est, partes plantarum ad ungvem scrutando, novas & ignotas detegendo, sufficientes artis terminos confiendo, firmiori genera fundamento stabiliendo, fructificationem, eique innixum plantarum sexum examinando, varietates reducendo, aliisque fere infinitis, quibus nunc scientia Botanica superbiat legibus.

Cum Botanici, sub reformatione, accuratius in fructificationem ejusque partes inquirebant, sese offerebat pars quædam floris, nullo, ante id temporis proprio nomine nota, quæ tamen hodie omnibus Botanicis receperit.

ptissima est, scilicet pars illa, quæ in plurimis, nescio an omnibus floribus, dulcem quendam succum, soluto saccharo haud dissimilem, secernit, quem avide querunt Trochili indorum aves, Insecta Diptera, aliaque plura; ex hoc succo Apes, in proprio ventriculo, ad hoc negotium ipsis a **Creatore** concesso, mel concoquunt parantque. Secernitur melleus hic florum humor e propriis quasi glandulis; sunt etiam in non paucis floribus distincta vascula, quæ hunc melleum liquorem continent.

Fingunt Poëtæ savissimam quandam Deorum potionem, quam *Nectar* appellant. Hoc eodem vocabulo pro dulcissimo melle apum usurpavit Virgilius, Georg. IV. 164; *Dulci distendunt Nectare cellas*. Hinc Nob. D:rus Praeses, mellifico isto in floribus apparatui nomen impositurus, hunc *Nectarium* vocavit, cum sit quasi vasculum nectaris, seu humoris istius dulcissimi mellei in floribus secreti.

Quam floribus adferat utilitatem, & cur eis ita necessarius sit hic humor, non adeo liquet; nec fuit etiamnum ullus Botanicus, qui hunc nodum solvit, vel dixit ejus usum ac effectum in œconomia florum, sed etiamnum reliæ res est posteris accuratius perscrutanda & inquirenda. A vero haud alienum videtur, quod necessario adesse debeat blandus hic humor, ad germinem, tempore generationis, continue humectandum, cum nulla, nisi in humido, fiat generatio. Verum, quod ita omnem, quem sibi Creator eo proposuerit, finem exhauserimus, dicere utique non audio, cum etiam in floribus masculis, a fructu remotissimis, deprehendantur hæc nectaria. Sed si fines secundarios quis querat, usus hujus humoris maxime palpabilis est. Etenim luce meridiana clarus apparet, Trochilos, innumeraque Insecta, in floribus ex nectare alimentum quarentia, a-

las crebro motitando, vibrandoque, pollene antherarum excutere atque dispergere, quo facilius in stigma cadat. Hunc quasi palpare possimus finem in Fici capricione, quæ sine hac ratione vix esset ulla \*). Immo hæc Insecta in Berberide, ipsius Cupidinis vices agere haud inepte, postmodum dicemus. Utrum vero Insecta aliaque mellisuga animalcula, absorbendo nectarium hunc liquorem e floribus, damnum inferant tenellis embryonibus, vel generationem infringant, nondum evictum est, ideoque iste locus Quintiliani & Senecæ de divite inficiente flores suos veneno, ut pauperis apes mel ejus furantes perirent, vix ac ne vix secundum naturæ leges etiamnum explicari potest.

Præeuntibus Anatomicis, illas partes, per quas aliquis humor in plantis fecernatur, glandulas vocare licet; dixerat enim quondam Anatomici; quod ubi glandula, ibi secretio; licet a me nemo expectabit, ut anatomico rigore demonstrem, has plantarum partes eandem cum glandulis animalium internam structuram habere; sunt autem ejusmodi GLANDULÆ, sensu Botanicorum acceptæ, in variis plantarum partibus admodum speciosæ; ut

α) In TRICOCCIS: *Ricino*, *Jatropha*, *Hernandia* & *Hippomane*, in quibus Petiolis insident;

β) In CUCURBITACEIS: *Passiflora*, *Trichosantho*, *Cucurbita lagenaria* & *Bryonia zeylanica*, ubi Petiolis, foliis approximatæ, innatae sunt;

γ) In LOMENTACEIS variis: ut in *Mimosa* & *Cassia*, hærent Petiolo communi superne affixæ;

δ) In COLUMNIFERIS, e. gr. *Urena*, *Gossypio*, *Hibisco*, nervis Foliorum crassioribus, in eorum inferiore pagina inferuntur;

ε) In

---

\*) v. Amoenit. Acad. Vol. I. pag. 38. seqq.

ε) In *Tamarice* & *Reaumaria*, quarum folia quovis mane rorida apparent, quod fit minutissimis poris, secernentibus rorem quendam, qui foliorum superficiem parvis quasi guttulis obtagit;

ζ) In *Polygono scandenti*, singulari naturae lege, glandula est, sub basi ipsius petioli, ubi porus liquorem suum secernit;

η) Plures enumerare supersedeo plantarum species, quae glandulis evidentibus instructae sunt, uti *Opulus*, *Baobinia*, *Turnera*, &c.: sed eas sicco praeterire pede non licet, ubi sermo est de plantarum glandulis, quae ob singularem suam structuram reddunt plantas adeo singulares, ut fere prodigiosae dicenda.

SARRACENIA folia gerit, eadem fere structura cum petalo Hermanniæ, cuius basis, seu inferior pars convoluta, vix videtur aliud quicquam esse, quam pelvis glandulæ.

MORISONA in umbellæ centro plurimas habet erectas & distinctas glandulas, singulas longitudine dorsi, & instar galæ Aconiti fornicatas.

NEPENTHES generat ex apice foliorum folliculos oblongos, cylindricos, magnitudine pollicis, pedicello pendulos, ore, more capsulae Hyoschyami operculatos, verum operculo altero margini affixo.

*Utriculariae* & *Aldrovandæ* folliculi ad radices positi, videntur etiam vix aliud, quam glandulæ esse.

Sed cum de glandulis in genere agere non sit huius opellæ argumentum, in sequentibus pauca quædam de istis modo glandulis, vel ductibus secretoriis ac vasculis, quibus solum flores instruantur, quæque nunc ab omnibus recepto nomine Nectaria vocantur, in medium proferre constituimus.

## CAPUT SECUNDUM.

Ut scientiæ Botanices illa pars, quæ de Nectariis

A 3 agit,

agat, lucretur majorem claritatem, necessarium omnino est, accurate describantur & cognoscantur variae in variis generibus ne<sup>t</sup>ariorum structuræ, quo in calcata via iter certius instituatur & minus a tramite erretur. Constitui igitur Nectariorum, quotquot mihi notos habeam, MODOS proponere, cum inter illas partes, quæ fructificationis strukturam constituant, tantus sit ne<sup>t</sup>ariorum usus in construendis generibus, ut determinari hæc nunquam felicius faciliusque possint, quam ubi propria adsint ne<sup>t</sup>aria.

MODOS itaque constituo XVIII. quos natura in adornando ne<sup>t</sup>aria, mihi visa est formare, suntque hi sequentes.

I. RECEPTACULUM reliquias connectens fructificationis partes, germenque ambiens, in pluribus floribus tegitur glandula annulari, convexa, succulenta, s<sup>æ</sup>pissimæ hoc ne<sup>t</sup>are madente. Quare etiam *Pontedera* nomine receptaculi intellexit illud ipsum carnosum in fundo floris, quod melleum exsudaret humorem. Quod vero Ne<sup>t</sup>areus liquor non semper e receptaculo seceratur, infra (modo XVI.) monebimus.

II. CALYCIFLORAS comprehendit, quo nomine intelligimus Senticosas, Pomaceas & Drupaceas, exempli loco sint *Rubus*, *Fragaria*, *Potentilla*, *Geum*, *Comarum*, *Spiraea*, *Pyrus*, *Sorbus*, *Ribes*, *Prunus*, quorum omnium calyces sunt urceolati, interne vestiti substantia glandulosa & madida, quæ certo respectu dici potest ne<sup>t</sup>arii vices implere. Verum *Ayenia* & *Lucar* gerunt supra receptaculum columnam, cui insidet ne<sup>t</sup>arium parvum, urceolatum, a reliquis partibus distinctum, & dicam fere alia prorsus ratione, quam aliae omnes notæ plantæ habent. Hisce jam recensitis proxime accedunt Calycanthe<sup>i</sup>mi, ut *Oenothera*, *Epilobium*, *Gaura*,

*Gaura*, *Lythrum*, quorum calyces tubum, s<sup>a</sup>pē notabilē mellei liquoris quantitatē continentem, formant.

III. MONOPETALORUM plurimi limbo suo longum annexunt tubum, melle adeo gravidum, ut, extracta corolla, copiam exstigere liceat, quod probant *Lamium*, *Galeopsis*, *Anchusa* &c. Hos tubos solito longiores videbis in *Catesbea*, *Brunsfelia*, *Craniolaria*, *Dais*.

Inter monopetalas locum sibi vindicat *Chelone*, cuius flores, ob mellis copiam, p<sup>r</sup>ae aliis quotidie frequentantur a mellistigis Trochilis in America Septentrionali.

Verum hi tres modi, cum peculiari haud gaudent organorum conformatiōne, minus proprie nectaria dicendi sunt.

IV. TETRADYNAMÆ, in primis siliquosæ, variā ratione binis, quaternis, vel senis glandulis, humorem melleum, intra ungues petalorum & folia calycis excernentibus, instructæ sunt. Harum glandularum ope *Scopuli*, in Flora sua Carniola, genera hujus Classis distinguere conatus est.

V. PAPILIONACEÆ seu *Diadelphæ* dictæ, ad superius latus bæeos germinis, intra distinctum filamentum, promunt glandulam nectariferam, ob quam basis hujus filamenti se incurvat.

*Cercis* fere eadem quidem ratione glandulam nectariferam profert; sed sub basi germinis, qua in re etiam convenient *Baubiniarum* aliquæ species, nec non *Monnieria*.

Non dissimilis est harum glandularum situs, scilicet infra germinis basin, in *Meliantho*, *Collinsonia*, *Lathraea*.

*Laurus*, *Polygonum*, *Astronium* plures gerunt glandulas receptaculi, germen cingentes.

*Clutia* & *Andracches* plures glandulæ, pari quidem

dem modo, receptaculo, germen ambiente, insident, quoad formam autem singulares & lobatae.

*Reseda* glandulam fert, basi germinis ad superius latus hærentem, & fornice testam, e superiorum petalorum basi formatam.

VI. Formant aliae plantæ nectaria ACUMINIBUS subulatis, germen circumfidentibus.

*Wachendorfiae* nectarium constat setis duabus ad latus interius petali superioris.

*Tamarindus* gerit nectarium e setis duabus, brevibus, sub filamentis.

*Glinus* loco petalorum habet nectarium e filis duobus (rarius 3. 4. 5.), linearibus, planis, inæqualiter bifidis.

*Vallijneria* conficit nectarium e tribus cuspidibus, quasi filamentorum rudimentis, intra singulum petalum, singulis.

*Fewillea* habet quasi filaments quinque compressa, incurvata, cum staminibus alternantia.

*Iresine* gerit nectarium e squamis quinque, staminibus interpositis.

*Gaultheriae* nectarium ex acuminibus decem, germen cingentibus.

*Sesamum*, *Chelone*, *Martynia*, & aliquot *Bignoniae* unico nectario, rudimenti quinti staminis speciem referente, instruuntur.

VII. Sunt Flores, qui gerunt SQUAMAS petaliformes, pistillum circumstantes.

*Hartogiae* nectarium, quasi e petalis quinque, ovatis, subulatis, brevioribus quam vera petala.

*Theobromæ* nectarium campanulatum, constans foliolis quinque, ovatis, lanceolatis, connexis, petalo minoribus.

*Sauvagesiae* nectarium foliolis quinque minoribus, cum petalis alternantibus.

*Helic-*

*Heliosteris* nectarium foliolis quinque, petaliformibus, lanceolatis, minimis, germen obtegentibus.

VIII. *Squamis*, nectarium efficientibus, ipsis staminum FILAMENTIS insertis peragitur.

*Zygophyllum* nectarium gerit decaphyllum, connivens, germen includens, singula squamula singulo filamento juxta basin adnata,

*Campanula*, *Roëlla*, *Polemonium*, *Plumbago*, *Astrodelus*, in eo convenient, quod quinque squamæ circa basin pistilli conniventes, melleum suum succum, ne evaporet, includentes, e singulis apicibus filamentum antheriferum exferant.

*Celosiae* nectarium oritur ex quinque staminibus ad basin se dilatantibus, & coēuntibus quasi in membranam plicatam, urceolatam, fere eodem modo ac *Limeum*.

IX. ANTHONÆ omnium rarissime nectaria ferrunt.

*Adenanthera* facile unica nota est planta, quæ in ipsa anthera glandulam gerit nectariferam.

*Commelina* habet stamina tria perfecta cum filamentis & Antheris, sed & tria alia filamenta, quæ loco antherarum gerunt cruces callosas, quas facile nectaria dicerem, imprimis si filamento destituerentur.

X. TUBUS COROLLÆ quasi distinctus a petalis, non potest non pro nectario haberis, si hic elongatus conciperetur brevissimus.

*Narcissus* & *Paxratium*, *Nerium*, *Olax* gerunt tubum nectariferum elongatum, cui petala quasi agglutinata sunt.

*Melia*, *Trichilia*, *Svietenia*, *Gomphræna*, eodem modo gerunt nectarium cylindricum, tubulosum, ore incisum, sed petala ad basin tubi posita sunt.

XI. Singularis methodus est nectarii, dum hoc sit  
e GLOBO perforato, germen includente.

*Mirabilis* tubo corollæ gerit globum, intra  
quem germen distinctum latet, & est nihil nisi nectarium,  
quod, decidente corolla, induratur in nucem.

*Clusia* eodem fere modo tegitur ampullaceo ne-  
ctario, cui plurima filamenta cum suis antheris insident.

*Tinus* & *Winterana* habent etiam nectarium ur-  
ceolatum, intra quod germen inclusum est.

*Ruscus* nectarium habet ovatum, inflatum, ore  
dehiscens, tam in floribus masculis, quam in foemineis,  
quorum germen includit.

XII. Ubi nectarium est commune floris, CO-  
RONÆ radiantis instar, germen ambiens.

*Paffifloræ* nectarium in plerisque constat corona  
triplici, e radiis constructa, quorum exteriores longi-  
ores sunt.

XIII. Flores nonnulli format quasi PROPRIUM  
PETALUM, pro nectario; uti *Canna*, *Amomum*, *Ca-  
sus*, *Circuma*, *Musa*, *Epidendrum*, cuius structura, in  
diversis diversa, videatur in Generibus Plantarum.

XIV. UNGVES petalorum ferunt in plurimis  
nectaria.

*Berberis* ad basin cujusque petali habet binas glandulas  
melliferas, in quibus stupendam proprietatem vi-  
dere licet, quod totiescumque vel infectum suo rostro,  
vel quicunque aliis acicula has glandulas ad bases  
filamentorum querat, rite explicato flore cum suis sta-  
minibus, dum levissime tangantur stamina, bases fila-  
mentorum elastice pollem explodunt versus humidum  
stigma.

*Hermanniarum* unges dilati & involuti, fere in  
formam Cuculli vel folii nominatae Sarracenæ, constitu-  
unt ejus nectaria.

*Ranunc.*

*Ranunculi* & *Myosotis* in eo sunt affines, quod supra ungues petalorum, intra florem, porum ostendat, quem in plurimis Ranunculis squamula interne adnata tegit.

*Hannaeis* nectarium constat foliolis quatuor, truncatis, singulis singulo petalo ad basin innatis.

*Erythroxylon* gerit ad basin singulorum petalorum, a pagina interiore, squamam nectariferam emarginatam, brevem.

*Greviae* nectarium constat e squamula singulo petalo ad basin inserta, crassiuscula, divaricata versus stylum.

*Kiggelariae* nectarium constat e glandula, ungyi cuiusve petali adnata, triloba, deprecta.

*Leontices* nectarium construitur e squama pedicellata, semiovata, patente, petalorum basi inserta.

*Plukemutia* gerit nectaria e glandulis quatuor barbatis, ad basin staminum sitis, & hoc quidem obtinet tam in floribus masculis, quam in foemineis.

*Cuscutae* nectarium e squamis quatuor vel quinque, linearibus, bifidis, acutis, corollæ adnatis.

*Fritillaria* & *Uvularia* habent lacunam nectariferam supra ungues petalorum; speciosissimam in *Corona Imperiali*, ubi excavata in hemisphaerium.

*Erythronium*, *Gloriosa*, *Melanthium*, macula ad basin petalorum insigniuntur didyma, quæ analogiam quandam cum proxime precedentibus indicare videtur.

*Lilium* fossulam habet nectariferam, secundum longitudinem petali exaratam; cui proxime accedit *Allfameria*, licet ejusmodi fossula in omnibus petalis non adsit.

*Hydrophyllum* perquam insigne est nectario suo, quod longitudinalis est rima, intra singulas corollæ laciniæ, utrinque clausa laminis adnatis longitudinalibus.

*Reaumuriam* inter & *Hydrophyllum* tanta est ratione nectarii, convenientia, ut si loco corollæ pentapetalæ, esset *Reaumuriæ* corolla monopetala, eodem modo creatas diceres. Petalis enim utroque latere est duplex margo longitudinalis, dehiscens; adeoque ubi duo petala approximantur, tubum, pro nectare, formant.

XV. *CALCAR* cornutum sæpe in petalis ita fabricatum videmus, ut melleum liquorem sua recipere possit cavitate.

*Antirrhinorum* plerisque & *Valerianæ*, imprimis rubræ ejusmodi sunt longæ spinæ, seu cornua, seu calcarea nectarifera a parte postica exserta. Horum proximæ sunt *Martyniæ* & *Lonicerae*, calcare licet obsoleto, parvo tantum gibbo conspicuo.

*Viola*, *Fumaria*, *Delphinium*, *Orchis* & *Satyrium*, nuper allatis proximæ accedunt, in eo tamen dispare, quod horum corolla sit polypetala, præcedentium autem monopetala:

Inter violas, *Viola calcarata* reliquas calcaris longitudine vincit. Contra ea sunt aliæ Violæ fruticosæ, ut *Hybantus jaquini*, *Calceolaria Læflingii* & *enneosperma*, quibus minimum vixque conspicuum calcar contigit.

*Fumaria cucullaria* duplice gaudet cornu, magis quam in reliquis exstante.

*Delphinii* calcar est quasi duplex seu alterum intra alterum, sed *Delphinio Consolidæ*. *ajacis*, & *ambiguo* interius calcar est monophyllum, in reliquis vero diphylum, quorum *Staphisagria brevissimum* gerit.

*Orchides*, exserunt e basi petali istius, quod labium inferium constituit, calcar cornutum; at *Orchis spicornis* e petalo supremo exserit duo calcaria, quod in hoc genere singulare. *Satyræ* proxima *Orchidum* sunt, sed differunt in eo, quod horum calcar subrotundum & scutiforme sit.

*Sper-*

*Swertia corniculata* singularis est, ob corollam rotatam, quæ subtus quatuor nectaria cornuformia æqualia gerit. *Kalmia* etiam quinque ejusmodi cornicula subtus prominentia, sed breviora edit.

*Monotropa* habet in petalis quinque exterioribus gibbum prominentem nectariferum.

XVI. PROPRIA nectaria, & a reliquis fructificatio-  
nis partibus *distinctissima*, sunt etiam in plurimis floribus.

*Aconitum* gerit intra corollæ galeam duo nectaria, petiolis propriis elongatis receptaculo inserta, & admodum singularia, quæ quidem sunt coriuta, sed apice obtusa, recurvata, basi antice in labium elongata.

*Aquilegia* habet nectaria quinque, maxima, cornuta, incurva, colorata, oris margine inferiori receptaculo affixa, exteriore vero patula.

*Helleborus*, *Isopyrum*, *Trollius*; *Nigella*, *Garidella*, habent nectaria plura, tubulosa, bilabiata, in orbem posita extra stamina; quæ Rivinus dixit totidem flosculos esse, adeoque hos inter compositos Flores collocavit, nescius quod stamina & pistilla necessaria essent pro flosculo constituendo.

*Parnassia* gerit, intra petala, quinque nectaria, in orbem posita, maxime singularia, qualia in nullo alio flore reperire licet, quorum singula constant squama subrotunda, ciliata, dentibus undecim terminatis globo sphærico.

*Epimedium* habet nectaria quatuor, tubulosa, obtusa, flava, petalis incumbentia, inferiori margine receptaculo adfixa.

*Sedum*, *Crassula*, *Rbodiola*, *Cotyledon*; *Butomus* gerunt ad basin germinum totidem nectaria auriformia.

*Asclepias*, *Cynanchum*, *Apocynum*, *Periploca* habent quinque nectaria auriformia cum dente eminente. *Stapelia* his affinis, sed cuius nectarium adeo singulare est, ut paucis verbis vix describi possit.

*Popu-*

*Populus* in utriusque sexus floribus profert nectarium monophyllum, tubulatum, turbinatum, superne dilatatum; ad quem proxime accedit *Lecythis* cum suo nectario, quod stamina profert.

XVII. CALYCES in paucioribus plantis proferunt nectaria a corolla distinctissima.

*Tropeolum* & *Impatiens* postice proferunt e calyce calcar nectariferum, fere eadem methodo, qua corolla, in Modo XV.

*Malpighia* & *Bannisteria* in singulis calycis lacinias, e latere exteriore, proferunt duas glandulas nectariferas.

*Tamus* habet punctum nectariferum oblongum, in singula lacinia calycina, prope ejusdem basin insculptum. Hic quoque mentio facienda est quorundam, *Iridum imberbum*, quae ad basin corollæ, sed extus, gerunt tria puncta nectarifera; cum tamen Irides barbatæ proprius convenient cum Liliis, ob lacunam longitudinalem petalorum reflexorum, occultatam sub barba corollæ.

XVIII. PISTILLUM rarius nectariferum est, sed dantur pauca exempla pistilli nectariferi.

*Diosma* profert ex apice germinis coronulam nectariferam, concavam, quinquefidam, obtusam.

*Hyacinthus* gerit tres poros in medio germinis, eorumque angulis insertos.

*Albuceæ* nectarium in germine fulcis tribus lateribus, a basi latiore sursum exaratis, desinentibus in mucrones duos.

*Ruta*, *Peganum*, *Dictamnus* ferunt receptaculum columnare, cui germina insident, quod poris aliquot nectariferis pertulatum est.

Exempla nectariorum plura, eaque numerosissima adfer-

adferri possent, si quis in minutiores florum glandulas attente inquirere vellet; Sed sufficient hæc fortassis præcipua.

### CAPUT TERTIUM.

*Vaillantius*, summus certe & acutissimus Botanicus, de nectario propriam fovebat opinionem; Quem, admodum enim pistilla officio suo a natura injuncto funguntur, cum proferunt semina; stamina autem cum pollen præparant; ita corolla pro mellis præparatione factam statuebat *Vaillantius*. Perquam ingeniouse summum virum hæc cogitasse non nego; plerumque enim petala vel seceriunt, vel includunt vel continent florum nectar; qui vero ex hoc fundamento judicet, ille nectaria in *Aquilegia*, *Helleboro*, *Nigella* & *Garidella*, petala, & quæ vulgo petala dicuntur, calyces coloratos dicat, necessè est. Hæc sententia, quo minus assumetur vetant variii modi. Etenim Germini (m. 18.), staminibus, (m. 9.) ipsique Calycis (m. 17.) nectaria interdum jungi, ex præcedentibus novimus. Distinctis præterea & a calyce & a corolla nectaris sine controversia, instruuntur *Sedum*, *Asclepias* & plures (m. 16.), quæ utique demonstrant, quod nectaria proprie petala esse nequeant. Fatemur tamen, ad hunc diem, verum nectariorum usum ignorari, nec, quis sit eorum primarius & essentialis inter partes fructificationis seu generationis finis, satis constare, sum in utriusque sexus floribus, tam masculis quam foemineis, quod *Kiggelaria*, *Populus* aliique demonstrant, deprehendantur nectaria.

Verum

Verum in hanc opellam non inutilem nos laborem insumisse credimus, si attentioribus Botanicis ansam præbere possit, accuratius & diligentius in hoc inquirendi mysterium, quod tam variantibus & singularibus modis curiosis se commendaverit Botanicis, quodque eis tam utile fuerit ad faciliores reddendos characteres genericos.

T A N T U M.

